



Cvrsvs Philosophicvs

Arriaga, Rodrigo de

Antverpiæ, 1632

Disputatio IV. De vnione Materiæ & Formæ.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95614](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95614)

lorem, quam in non habente, si in eodem vtraque actione fit. Respondetur, negando sequentiam, quia calor passivus resistit formaliter, quod siue frigus eadem siue diversâ actione producendum sit, eodem modo ab omnibus debet defendi.

Tertia: Quod si cacabus vacuus valde calidus ab igne repleatur repente aquâ frigidissimâ, deberet retinere calorem cum frigore, quia est ibi causa conservans utrumque accidens. Verum hæc obiectio est iam in præcedentibus soluta, estque vtrique parti communis: independenter enim ab hac questione de influxu eodem vel maiori, videndum est, quod sit agens fortius in eo casu, an aqua, an ignis. Si aqua, producat frigus, & tunc ob repugnantiam cessabit causa à conservatione caloris: si verò ignis sit potentior, conservabit calorem, & sic impeditur frigoris productionem. Necad hoc video quid iuvet cacabus aut olla.

Dices: Sed quod esset incommodum, si simul esset calor & frigus, ut propterea debeat Deus vnum in præsentia alterius destruere? Verum retorqueo argumentum: Si nullum est inconueniens, dicat mihi, cur vnum non potest

cum antiquo influxu conservari præsentem altero?

Respondebis: Quia id habet ex naturâ suâ. Idem ego dico: quia ex naturâ suâ petit ne alterum sit, ideò Deus naturali exigentiâ satisfaciens id expellit. Similiter, quod inconueniens esset, si Deus per duas actiones naturales, quas successivè habere possum, daret mihi simul vibrationem hic & in spatio vicino? & quod est, cur acquisitâ vnâ, debeo alteram amittere? Certè nisi in limitatam virtutem subiecti & exigentiam tantum vnus vibrationis non poteris id refundere. Hoc autem ipsum rectè applicatur puncto præsentis.

Tandem obiicies: Ergo non difficilius conservantur frigus & calor ut octo in eodem subiecto, quam albedo & dulcedo, quia illa duo conservantur actione quoad substantiam naturali sicut hæc. Verum ista obiectio iam est soluta. nam licet quoad substantiam non sit diversitas in actione, est tamen quoad modum, iuxta paulò antè dicta. Cetera, quæ occasione huius difficultatis de oppositione gratiæ & peccati tanguntur, alibi discutientur Deo dante.

DISPUTATIO QUARTA.

De unione Materiae & Formae.

SECTIO I.

An vnio distinguatur ab utroque extremo.

SUBSECTIO PRIMA.

Vnio distinguitur ab utroque extremo.



nto dicitur nexus ille, quo ex duabus rebus, v. g. ex materiâ & formâ, resultat vnum compositum, homo, leo, &c. & de hac inquirimus in præsentia, vtrum sit entitas distincta ab utroque extremo, scilicet ab animâ & corpore. Sed prius advertite, questionem hanc solum esse inter ea extrema, quæ separari possunt mutuo saltem de potentiâ absolutâ: nam quando aliqua forma ita est connexa cum materiâ, vel cum alio subiecto, ut nec de potentiâ absolutâ possit esse sine illo, indubitatum videtur vniri cum illo per se ipsam sine nexu intermedio.

Gregorius cum Nominalibus reliquis apud Hurtadum Disputatione 5. §. 6. & plures Thomistæ negant distinctionem vnionis à materiâ & formâ, dicuntque, formam esse vnitam materiæ, nihil aliud esse quam formam prout in materiâ. Contraria tamen sententia est tenenda cum P. Suarezio supra sectione 6. Vasquez Tomo 1. in 3. Partem, disput. 19. num. 23. & disput. 13. cap. 3. & Hurtado supra §. 5. & recentioribus communiter, quæ hac euidenter ratione suadetur. Quando duæ res inuicem possunt separari saltem de potentiâ absolutâ, euidenter est eas esse distinctas, quia nihil potest à se ipso separari: at

possunt esse realiter materia & forma substantialis in rerum naturâ, & tamen non inter se vniri; ergo hoc quod est esse vnitatis, aliquid est realiter ab illis distinctum. Maior & consequentia sunt euidenter. Minor probatur, quia de facto modò existit in rerum naturâ materia prima D. Petri, & eius anima, & tamen de facto non sunt vniti, alioquin constituerent hominem; ergo hoc quod est illas esse vnitatis, potest separari ab illis. Idem est de materiâ & formis materialibus, quas diximus Disputatione 111. Sectione 4. posse saltem de potentiâ absolutâ conservari sine vnione ad materiam, nihil autem nec diuinitus potest separari ab eo, à quo non distinguitur. Respondetis Primò, hoc quod est materiam esse vnitam formæ, non distingui ab vtraque simul sumptâ. Sed contrâ, quia si per *simul sumptâ* intelligas simul existentes, falsum est, non distingui vnionem ab vtraque etiam simul sumptâ: nam, ut dictum est, modò simul existunt in rerum naturâ & materia D. Petri & eius anima sine vllâ vnione, ergo. Si verò per *simul sumptâ* intelligas idem ac vnitatis, de hoc est argumentum; fateor enim, vnionem non distingui ab vtraque parte ut vnitatis; verum vtramque esse vnitatis, distinguitur ab vtriusque entitate, siquidem potest ab illâ separari. Respondetis Secundò, vnionem materiæ & formæ non distingui à materiâ prout in formâ, & à formâ prout in materiâ. Sed contrâ, quia *prout in materiâ* aliquid est distinctum ab ipsâ materiâ & formâ secundum se, nam vtraque potest esse in rerum naturâ, & vna non prout in aliâ, ergo & vnio, quæ consistit in illo modo essendi, *prout in materiâ*, erit distincta ab ipsâ materiâ & formâ. Quia verò hic iam incipimus probare distinctionem modorum contra Nominales, & nonnullos parcos Philosophos recentes, velim

- 5 vt hoc aduertat (ne necessum sit in similibus questionibus id repetere) tales Auctores argumenti facti vi oppressos, ne cogantur admittere nouam entitatem, quam nos contendimus probare. recurrere ad nouas phrasas, v.g. in argumento facto: Vnio est aliquid separabile ab vtroque extremo, ergo est aliquid distinctum. Respondent, id consistere in eo, quod vtrumque extremum sit simul. Vrgentur: Esse simul, est aliquid ab vtroque separabile, quid ergo illud est? Respondent, Forma prout in materia. Rogorursus, Quid hoc? Respondent, formam in formare materiam; & sic toties nouis terminis & vocibus respondent, quousque iterum redeant ad priores terminos, & sic semper in circulo versantur: quid autem velint dicere, ego sanè numquam potui percipere, dubito an facile ab aliquo
- 6 percipi possit. Ergo astutè contra tales hoc modo oportet argumentari, vt omnia illa nomina, vel phrasas, quibus deludunt, simul accipias (ne relinquas illis locum ab vno ad aliud perpetuò saltandi) & de illis simul ita acceptis, roges, an omnia illa significant ex parte obiecti entitatem aliquam realem, an non. Si significant, habes intentum, quia illa est modus quem tu intendis. Si dicant, nihil ex parte obiecti reale per ea nomina & phrasas significari, ergo debent fateri, se finxisse, vel quæsiuissè in Calepino aut Nizolio ea omnia ferè synonyma & phrasas illas ad significandum nihil, & eludendam veritatem Philosophicam, quæ non consistit in multiplicitate verborum. Quod adeò verum puto, vt si ab aduersariis vel hæc sola ratio sedato animo & ad veritatem recipiendam parato consideraretur, ex hoc solo capite suæ opinionis falsitatem aduerterent. Id aliquantulum clariùs infra constabit agendo de Actione, de Vbi, Duratione, &c.
- 7 Secundò argui potest, ad probandam eam distinctionem vnionis: Quia in generatione hominis datur propria & rigorosa actio generatiua, ergo aliquid per illam producitur: non materia, neque forma rationalis, quia hæc producuntur per creationem, & sæpè iam supponuntur producta, vt contingit in resurrectione mortuorum; ergo debet produci vnio vtriusque partis, ergo hæc est distincta ab vtraque parte. Arbitror, hoc argumentum non esse distinctum à præcedenti, quia in tantum dicimus in generatione hominis dari veram actionem distinctam ab actione materiæ & formæ, in quantum datur ibi aliquid de nouo realiter distinctum à partibus, scilicet eas esse vnitas inter se, quod potest separari realiter ab illis. Nam si semel negetur id esse quid distinctum, sine nouo absurdo negabitur actio distincta à productione materiæ & formæ, & eodem modo respondebunt aduersarij, eam generationem terminari ad formam prout in materia, &c. sicut supra dicebant, dum vrgeretur quid esset eas esse vnitas. Solùm ergo erit vnio, sed satis efficax pro hac sententiæ fundamentum ex separabilitate desumptum.
- 8 Aduerte, argumento à nobis facto probari, distinctionem vnionis à partibus esse realem; quia, quæ realiter separantur, realiter distinguuntur. Quod aduerto, ne quis censeat, per solam distinctionem virtuales posse intelligi hanc separationem vnionis à partibus, tum quia in creatis non datur distinctio virtualis in ordine ad duo præ-

dicata contradictoria, vt ostendi Disputatione v. Logica, Sectione 2. tum quia, etiam daretur ea distinctio virtualis in ordine ad aliqua prædicata contradictoria, qualia sunt cognosci & non cognosci, videri & non videri; nullus tamen dixit eam dari in ordine ad existendum & non existendum in rerum naturâ, secundum diuersas formalitates, quia neque in diuinis quoad hoc talis distinctio concedi potest, etiam si ibi sit in ordine ad alia prædicata. Ratio verò est, quia vnum posse ab alio separari realiter, est euidentis indicium distinctionis realis.

Aduerte Secundò, etiam hæc distinctio, vt ostensum est, in re sit realis, nec minor quam inter Petrum & Paulum, non tamen dici absolute realem, sed modalem, quia vnio est modus partium, pendens essentialiter in esse & conseruari ab ipsius partibus, vt statim dicemus, illa autem distinctio vocatur modalis ab vno extremo, qui est modus.

Hinc infero Primò, ob eandem rationem distinguendam esse vnionem humanitatis Christi cum Verbo diuino ab vtroque extremo: quia vtrumque posse esse simul, & tamen vnum non esse alteri vnium, vt contingeret, casu quo Deus non assumpsisset eam humanitatem. Imò fortè hic res est clarior quam in humanis, quia non potest recurri ibi ad præsentiam localem, hanc enim Deus necessariò habet cum omni humanitate, & tamen illi non vnitur; neque ad dispositiones physicas, tum quia nullæ sunt à quibus pendeat Verbi vnio, tum quia nullæ sunt ex quibus ea vnio necessariò inferatur.

Infero Secundò, vnionem non solùm distinctam esse à materiæ & animæ rationali, sed etiam ab actione quæ vtraque producitur: quia potest manere materia & forma cum eâ actione, & tamen non vnita, ergo.

SUBSECTIO SECUNDA.

Vnio distinguitur à præsentia locali & dispositionibus.

NON defuere alijs, nimium auidi omnes negandi modos, qui, pressi argumentis supra factis, dixere vnionem quidem distinguere ab vtroque extremo, eam tamen consistere in dispositionibus, & approximatione formæ ad materiam; neque esse necessariū vllum alium modum vnionis superadditum. Ego in his Auctoribus non possum satis mirari, quod cum omnes modos distinctos negent, quando in vno loco premuntur argumento supra facto, tunc recurrant ad materiam aliam, quasi in eâ modum distinctum admitterent. Sic iam hic oppressi dicunt, vnionem esse quidem distinctam ab vtroque: id autem declaratantes, dicunt vterius, id distinctum esse intimam præsentiam localem: quando verò ad præsentiam localem venitur, dicunt etiam illam nihil esse distinctum: quando rursus inquirunt quid sit distinctum, quod addit duplex præsentia localis, casu quo corpus duobus in locis ponatur, dicunt esse duplicem actionem Dei; nec, nisi res per duplicem actionem producat, putant repugnare eam poni in duobus locis: rogari verò tandem quid sit actio illa duplex Dei, dicunt nihil esse à Deo & effectum distinctum. Videas ergo vel

vel hinc euidenter huius sententiæ falsitatem, quæ in vno casu affirmat quod postea negat, & semper ab vniis in alias latebras confugit, nihil tandem fixum, cui inniti possimus, assignans.

13 Sit ergo Prima impugnatio huius sententiæ: Illa præsentia localis, in qua dicis consistere vniōnem, nihil est in tua sententiā distinctum, ergo malè hic explicas illud distinctum per eam præsentiam. Secundò: Quia præsentia localis mutatur, quoties homo mouetur, etiam si anima maneat intra corpus, de quo fusiùs infra: quis autem dicit, vniōnem substantialem tunc mutari? Quoad alias verò dispositiones idem probo euidenter, quia mors hominis est corruptio substantialis, vt ipsi fatentur, ergo aliquid substantiale perit: atqui in hac sententiā, quam impugno, nihil substantiale perit, ergo non est corruptio substantialis. Probo euidenter consequentiam, quia actio & corruptio dicuntur substantiales à termino substantiali producto aut destructo, ergo si nullus terminus substantialis perit, aut produci-
14 tur, non potest actio substantialis esse. Probo autem Minorem euidenter; quia homo dicit animam, materiam, & vniōnem, & nihil ampliùs: atqui anima & materia, quæ solæ sunt substantia, non corrumpuntur, dispositiones autem, quæ sunt vniō, & solæ corrumpuntur, non sunt substantia; ergo nihil substantiale corrumpitur.

Respondetis forè Primò, vniōnem etiam esse substantiam, quia non in solis dispositionibus consistit, sed in illis & in materiā & formā. Sed contrà, quia hæc responsio non est ad rem: nam vniō, quæ parte est idem cum materiā & formā, etiam si sit substantia, non tamen vllò modo corrumpitur, ergo vt aliquid substantiale corrumpatur, parum iuuat, materiam & formam esse inadaptatas vniōnes.

Respondetis Secundò, in eo casu corrumpi hominem qui est substantia, corrumpitur enim totum compositum. Sed contrà euidenter, quia homo in tua sententiā duo dicit, vnum quod est substantia, scilicet partes materiam & formam; aliud verò, quod est accidens, scilicet dispositio-
15 nes: homo secundum illud primum non perit, sed solum secundum dispositiones, quæ non sunt substantia; ergo non perit aliquid substantiale, sed solum accidentale.

Respondetis Terriò: Non solum pereunt dispositiones, sed etiam ipse homo, seu ipsum totum. Sed contrà, quia licet dicatur etiam homo periisse, re tamen verà hominem periisse non est aliud quàm vnum aliquid, quod essentialiter includebat homo, periisse, & inde denominari ipsum hominem periisse: debent enim hi Auctores, & quotquot nolunt terminis rem confundere, distinguere in similibus casibus terminum, qui propriè & formaliter perit, & terminum denominatiuum. Denominatiuus terminus est ipsum totum, formalis verò est pars illa, aut illud aliquid essentialiter requisitum, quod propriè perit, & ex quo dicitur etiam totum ipsum periisse. sic
16 dum dicitur periisse album, non dicitur periisse totum quod album dicebat, sed aliquid, albedo scilicet, aut vniō. Iam ergo hinc sic argumentor: Terminus formalis, qui solus in hoc casu perit, est vniō seu dispositiones quæ sunt accidentales, ergo solum fuit destructio accidentalis. Probo euidenter, quia actio denominatur à termino for-

mali, aliàs productio gratiæ in animā, quia habet pro termino totali gratum in quo includitur substantia rationalis, deberet esse actio substantialis, quod à nemine conceditur.

Secundò sic argumentor: Ex hac sententiā sequitur euidenter, hominem non esse totum substantiale & per se, eò quod in suo conceptu essentiali includit formaliter accidentia. Respondent hi, totum dici substantiale à partibus, non ab vniōne. Sed hæc solutio Primò euidenter reicitur, quia tam essentialiter est toti vniō, quàm partes, nec est in hoc excogitabilis differentia, imò totum denominatur generatum non à partibus, sed ab vniōne; ergo etiam debet dici accidentale ab ipsa vniōne. Ratio est, quia totum vt totum constituitur per vniōnem, vnde eodem modo, quo est vniō, denominatur totum. Sic licet lapides sint substantia, & illi soli sint partes in aeruo ipso-
17 rum, non tamen dicitur totum illud substantiale, & per se, sed per accedens; quia vniō est per accedens, licet partes sint aliquid substantiale) quia vniō est aliquid accidentale.

Dices, vnum lapidem non dicere ordinem per se ad alium, sicut dicit materia ad formam, & hæc ad materiam, vt ad se mutuò perficiantur. Sed
18 contrà euidenter, quia quidquid sit de capacitate ad se perficiendum, certè actu non se perficiunt, nisi accidentaliter mediis accidentibus; ergo actu non constituunt nisi totum per accedens. Imò est repugnantia in terminis, dum dicis, habere capacitatem ad vniōnem per se, & perfectionem per se, nam hæc capacitas est ad perfectionem actua-
19 lem; ergo cum perfectio actualis sint ipsa accidentia sola, non potest esse capacitas ad vniōnem per se, sed ad vniōnem per accedens, & eodem modo ad informationem etiam per accedens. Secundò solutionem impugno: quia rogo, Vnde infers, calorem non esse partem hominis, quandoquidem tam sine eo non potest per te esse homo, quàm sine animā? vel da mihi vnam definitionem partis, quæ conueniat materiæ & formæ, non verò calori. Cum enim calor sit entitas ab-
soluta, est etiam pars; nos enim vniōnem idèd non dicimus partem, quia est essentialiter actualis nexus: at hoc non habet calor, neque aliæ dispositiones secundum se, ergo tam erunt partes, quàm ipsa materia; & consequenter, etiam si à solis partibus denominatio substantialis desumatur, non erit homo dicendus ens substantiale, quia includit accidentia, sed accidentale, sicut album non est totum substantiale, etiam si includat vnam partem substantialem.

Vrgetur hoc argumentum ex communi Philosophorū consensu: omnes enim dicunt, dispositiones esse extra essentiam rei, vnde semper est receptum principium inter omnes, solum naturaliter eas requiri; diuinitus verò posse esse totum substantiale sine dispositionibus, & has posse esse sine toto; ergo illæ non sunt vllò modo aliquid constituens essentiam compositi.

Verùm ne isti dicant, se non curare quid alij Philosophi docuerint, sic à ratione argumentor, ostendendo bene id à Philosophis doctum: Quia potest Deus diuinitus B. Petri corpus v.g. disponere omnibus accidentibus necessariis ad vitam, nec tamen idèd anima erit vnita ei corpori, sed poterit ipsa manere in calo.

nus consequenter discurre, dum vniōem ab extremis distinguunt: admissis enim (inquiunt) iis connotatis, nullatenus necessaria est vniō distincta. Vt autem acutius hunc consequentiæ defectum notarent, non nominarunt P. Suarezium, qui primus & connotata & vniōem distinctam illustrauit, sed recentiores alios qui P. Suarezium in vtroque puncto sequuntur. Sed iam eorum argumentum videamus. Si enim (aiunt) admittunt hi Connotantes denominationem intrinsecam nouam sine entitate nouā intrinsecā, cur non etiam admittent in materiā & formā denominationem intrinsecam *etiam*, sine entitate intrinsecā vniōis superadditā? Quod argumentum tam clarum putant, vt nec verbum possit ei à Connotantibus responderi. Ego quidem longè sum ab his connotatis, quæ non parum horreo, vt dixi supra, & impugnata à me sunt ea Disputat. xii. Logica, à num. 34. valde tamen miror hic eorum Auctores de consequentiā notatos. Putarem non benè à consore comprehensam illorum sententiam, & in quo à nobis differant. Omnes ergo Connotantes semper hoc meritò statuunt, non posse in rerum naturā nouam dari denominationem realem sine nouā entitate reali, neque posse intelligi aliquam denominationem realem separabilem ab aliquo, nisi sit aliqua entitas realis ab eo separabilis: in quo illi & nos Non-connotantes conuenimus. Differunt verò illi à nobis, quod ipsi docent, adueniente entitate aliquā quæ sit purus terminus, & non pars denominationis, posse resultare de nouo eam denominationem: vnde illi vocant denominationem adæquatè intrinsecam, quam nos partim intrinsecam & extrinsecam parum dicimus. Hæc est tota inter eos & nos differentia: quæ quàm sit per accidens ad difficultatem præsentem de distinctione vniōis, quis non videat? Nos enim probamus vniōis distinctionem ex eo, quod nulla est entitas, neque intrinseca neque extrinseca, à quā denominatio vniū provenire possit, si modum distinctum vniōis excludamus; vnde illum ponendum, clarè inferimus. Iam autem, quomodo, etiam si omnia connotata admittantur, poterit vniōis distinctio negari, quandoquidem neque intrinsecum neque extrinsecum vllum est connotatum, à quo ea denominatio, qualiscumque sit, provenire possit.

Sed videamus quid adhuc urgeant aduersarij. Primò ergo replicant: Quia Connotantes in Deo admittunt nouam denominationem *volentis liberi*, etiam sine vllò connotato extrinseco; ergo eodem modo possent hic admittere nouam denominationem vniū sine vllò connotato. Melius iam & clariùs obijcietur his ipsi inconsequentia in hac replicā. Ipsi enim admittunt passim in Deo tales denominationes extrinsecas, v. g. potentis producere possibilitatem & ea cognoscens, &c. quæ in esse entitatis potuerunt manere, etiam si creatura non essent posibles, & posita possibilitate, quæ de facto nihil prius est, sine mutatione Dei potuerunt resultare: ergo si ex eo, quod in Deo Suarez & Connotantes nouas denominationes intrinsecas admittant sine nouā entitate intrinsecā & extrinsecā, eos ita acriter redarguunt inconsequentia, quia postea vniōem distinguunt; quomodo se ipsos ob eandem culpam non arguunt? Aduerte, Connotantes ad-

mittere, denominationem intrinsecam Deo posse conuenire sine vllā entitate nouā intrinsecā aut extrinsecā, quia difficultas actuum liberorum Dei, quæ maxima est, eos ad hoc cogit, sicut & cōgit multos alios, & ipsos qui hæc Connotantibus obijciunt. In quo omnes sumus pares. At, vt sine vllò nouo connotato etiam in creatis nouam admittamus denominationem realem, nec exemplum de Deo, nec ratio vlla nos aut Connotantes aut alium coget aut cogere potest. Malè ergo inde obijciunt inconsequentia Suarezio vel his Connotantibus, qui mouentur principio illo vniuersali, *Quæ possunt vel diuinitus separari, debent esse distincta*. Vnde cum in vniōe nullum sit connotatum reale, à quo non possit separari denominatio vniū (vt nos supra ostendimus) meritò illi in creatis eam vniōem distinctam requirunt, quidquid sit in Diuinis, quoad actus liberos.

Sed Secundò obijciunt contra eam solutionem: Quia formā & materiā intimè approximatis, & vltimò dispositis, non potest nec diuinitus non dari denominatio vniōis; ergo ea denominatio non prouenit ab entitate distincta, à formā & materiā approximatis & dispositis. Sed hoc Antecedens falsissimum est; quia diuinitus ea omnia possunt existere in rerum naturā, & tamen forma potest non esse vnita materiæ, quod ipse arguens sæpè supponit: vnde non scio, an hoc Antecedens ponat ex proprio sensu. Si enim hoc esset, manifestè sibi & veritati contradiceret, qui idèò distinctionem Vniōis probat, quia hæc potest separari ab omnibus dispositionibus simul iumptis. Quod si illud Antecedens ponat ex mente recentiorum contra quos agit, numquam illi hoc dixerunt: imò idèò docent, vniōem distinguui ab illis omnibus, quia ea omnia possunt manere sine vniōe. Quod si arguens assumit Antecedens falsum, quod fortè ab alijs diuersis Auctoribus docetur, quid inde contra horum inconsequentiam? Adde, si Antecedens esset verum, ipsum argumentum ingulari; quia tunc nullum haberet argumentum ad probandum vniōem esse distinctam. Fundatur enim, & benè, vt paulò antè dixi, in separabilitate vniōis ab his dispositionibus & approximatione, &c. Si autem iam negat hanc separabilitatem, quomodo inferret distinctam vniōem?

Tertiò obijciunt: In sententiā Thomisticā, distinguente relationem à fundamento & termino, etiam potest diuinitus Deus impedire, ne ex vtraque albedine resultet relatio similitudinis, sicut potest impediri vniō formæ & materiæ, positis dispositionibus & existentia materiæ & formæ, &c. ergo sicut, hoc non obstante, Suarez & Connotantes negant Thomistis, resultare nouam entitatem relationis, posito fundamento & termino; ita debent negare resultare nouam entitatem vniōis in prædicto casu.

Etiā in hac obiectione non sunt sibi constantes: ipsi enim cum Suarezio, dum in disputatione de Relatione agunt cōtra Thomistas, vnice inniuntur huic principio, quod posita vtraque albedine est formalissima similitudo, neque à Deo impediri potest, ne illa sint formaliter similes. vnde ipsi concludunt, Ergo similitudo non est distincta. Iam autem in puncto præsentis vellent arguentes, vt Suarez admitteret Thomistis, posse diuinitus formalem similitudinem ab vtro-

que extremo simul sumpto separari, & quod tamen illis negaretur distinctio relationis: quod perinde est, ac petere, ut argumentum quo Thomistas impugnamus, dicamus esse falsum, & si multum tamen eos reiiciamus. In quo puncto æquè ipsi arguentes irretiuntur: quia si illi admittunt Thomistas, formalem similitudinem posse diuinitus separari ab utroque extremo, quomodo negabunt eam esse entitatem superadditam? Neque ad hoc punctum video quid conducatur vocare eam denominationem *similis* partim extrinsecam, cum verà & ipsorum argumentum sententia; vel dicere purè intrinsecam, posito termino cum his recentioribus Connotantibus, quos hi arguentes impugnant, sed sine villo fundamento, ut ex dictis constat.

SUBSECTIO QUARTA.

Obiectiones contra unionem distinctam soluantur.

39 **O**BIICES PRIMò: Non solum materia & forma vniuntur inter se, sed etiam cum ipsa unione; & tamen cum illa non vniuntur per unionem distinctam, alioquin daretur processus in infinitum; ergo etiam poterunt materia & forma vniri inter se sine unione distincta. Nego consequentiam, quia unio non potest esse in rerum natura, nisi vniatur cum materia & cum forma. vnde hoc, quod est actu vniri, non est quid distinctum ab illa; materia verò & forma rectè possunt esse in rerum natura, ut ostensum est, etiam si actu non vniantur; ergo eas vniri inter se, aliquid est distinctum ab utraque, quia ab utraque est separabile.

40 **O**BIICES SECUNDò: Forma vnitur materie medià unione, ergo non immediatè, contra id quod suprà diximus. Respondeo, unionem esse ipsam rationem formalem, quā materia & forma vniuntur inter se, sicut actio est ratio formalis, quā causa producit effectum. vnde, sicut hæc non efficit, ne causa immediatè producat effectum; ita nec unio tollit materiam & formam inter se immediatè vniri: tolleret autem, si unio non esset ratio formalis vniendi, sed extremum vnitum, cui solum vniretur materia, & medio illo vniretur forma. Et si licet aliquo exemplo materiali declarare, illud accipe. Non concipias unionem tamquam calcem aut bitumen aliquod, quod medians inter duo extrema illis adherens, ea inter se vniri; hoc enim modo semper concipies solum unionem immediatè extremis vniri, extrema verò inter se mediatè: sed unionem tibi efforma ad modum ferrei vncii, qui supra duos lapides immediatè se tangentes infixus, & ipse utriusque immediatè adheret, & utrumque inter se immediatè affixum tenet. Quod idem suo modo de actione respectu effectus dictum puta (ne sapè idem repetere cogamur) censent enim aliqui, si detur actio distincta, effectum non oriturum immediatè à causa, sed mediante actione. Imò & hinc etiam alij argumentantur, nobis non futurum immediatè liberum amorem Dei, & consequenter nec formaliter meritum, sed totam libertatem & meritum in solâ physica actione consistere, quod valde durum reputant. Sed hi falluntur, non secus

ac qui propter unionem mediam putant extrema non immediatè vniri. Actio ergo non est quæ producit effectum, nec est quasi aliquid quod producit à causa ut inde ipsa actio efficiat effectum, tunc enim solum mediatè oriretur effectus à causa, sed æquè immediatè & eodem signo naturæ effectus, & actio oriuntur à causa: actio verò dicitur prior non *in quo*, sed *à quo*, quia est quo causa producit, sicut unio id quo extrema vniuntur. At hoc sicut immediatam productionem non impedit, ita nec immediatam libertatem, meritum, &c. quæ hic sufficiat tetigisse.

Obiices Tertiò: Unio materie & forme erit accidens, si distinguatur; ergo non potest distinguui, quia nihil accidentale pertinet ad constitutionem hominis v. g. Consequentia est certà. Antecedens verò probatur, quia unio, si distinguatur, debet inherere materie & forme, ergo & esse accidens. Respondeo, unionem dependere quidem ut à subiecto à materia & formâ (de quo infra) verum non illi inherere propriè, quia in hæc est propria illius rei, quæ est extra conceptum primum & substantialem. Unio autem non est extra conceptum hominis, sed potius intra illum, vnde neque inheret, neque est accidens, etiam si distinguatur: sicut forma materialis substantialis, licet dependeat à materia, non tamen propterea inheret eo modo quo id tribuitur accidenti.

SECTIO II.

Utrum unio sit simplex, an composita.

NON QUÆRIMUS, UTRUM sit simplex integraliter necne; certum enim est, diuersam partem unionis esse, in manu v. g. ab eâ quæ est in capite; est ergo difficultas solum de partibus essentialibus, id est, utrum diuersa sit unio in materia ab unione forme, ideoque in manu v. g. sit unio tenens se ex parte materie manus, & alia tenens se ex parte forme; an verò vnica in utraque parte essentiali.

SUBSECTIO PRIMA.

Sententia eam adstruens duplicem.

HURTADVS Disputatione 5. Physicæ, sectione 7. cum multis recentioribus duas adstruit in composito uniones partiales, vnâ tenentem se ex parte materie, aliam ex parte forme. Licet autem omnes isti in sententiâ conueniant, non tamen in fundamento illius. Quidam enim eam probant: quia de essentiâ unionis ut sic est, respicere aliquid ut subiectum, & aliquid ut purè terminum; ergo unio materie & forme debet respicere aliquid ut subiectum & aliquid purè ut terminum: sed hoc non potest esse nisi unio sit duplex, quia si sit vnica, vtramque partem respiceret ut subiectum, & nullam ut purè terminum: ergo debet poni vnica ex parte materie, quæ respiciat materiam solum ut subiectum, & formam solum ut terminum; alia verò ex parte forme, quæ respiciat formam ut subiectum, materiam verò ut terminum. Probatur primum Antecedens, scilicet, de conceptu unio-
46
nis esse respicere aliquid ut purè terminum, & aliquid

aliquid vt subiectum; quia vniō humanitatis Christi ad Verbum est vera vniō, & respicit humanitatem vt subiectum, Verbum autem vt purē terminum, ergo id est de conceptu vniōis vt sic.

Omnino displicet modus hic arguendi, est enim ab vno particulari ad vniuersale; sicut si quis probaret, de conceptu animalis esse rationalitatem, quia homo est rationalis. Respondeo igitur, de conceptu vniōis vt sic solum esse, connectere extrema inter se; quod autem id fiat, vel respiciendo vtrumque extremum vt subiectum, vel vnum vt subiectum & aliud vt terminum, non esse de conceptu vniōis vt sic, sed de conceptu specifico huius vel illius vniōis. Quod & ipsi aduersarij fateri tenentur: quia, licet qualibet vniō partialis respiciat, aliquid vt terminum, & aliquid vt subiectum, vniō tamen totalis vt totalis formaliter vtrumque extremum respicit vt subiectum, & vtrumque vt terminum; ergo non est de conceptu vniōis vt sic prout abstrahit à totali & partiali, respicere aliquid vt purē subiectum, & aliquid vt purē terminum.

Sed age, concedamus his Auctoribus, id esse de conceptu vniōis vt sic, adhuc non inferunt, vniōem compositi debere esse compositam: posset enim quis respondere, eam esse simplicem, & subiectari tantum modò in vno extremo, & respicere aliud vt purē terminum, sicut P. Suarez & multi alij docent, sicut in Christo non datur nisi vnica vniō tenens se ex parte humanitatis, in qua est vt in subiecto, & respicit Verbum diuinum purē vt terminum.

Sed vrgent hi Auctores hanc secundam solutionem: Quia impossibile est manere aliquid intrinsecè vnum per vniōem, quæ non recipiatur in ipso, quantumvis sit terminus intrinsecus illius; quia terminus intrinsecus nihil aliud est, quàm terminus existens in eodem loco, cum re cuius est terminus, quod non sufficit ad vniōem. Ad exemplum vniōis humanitatis cum Verbo, respondent, ibi etiam esse duas vniōes, aliam ex parte humanitatis quam omnes cognoscunt; aliam ex parte Verbi, ab ipso indistinctam, quæ non fortebatur ab æterno rationem vniōis ex defectu connotati, scilicet ex defectu vniōis tenentis se ex parte humanitatis. Respondeo, imprimis falsum esse, terminum intrinsecum præcise esse illum, qui est in eodem loco cum re, cuius est terminus: nam cognitio intuitiua Dei respicit essentialiter creaturas existentes in eodem loco cum ipsa cognitione, & tamen nullus dixit, creaturas esse terminum intrinsecum cognitionis Dei; ergo terminus intrinsecus aliquid addit supra existentiam in eodem loco. Deinde, falsum esse, terminum intrinsecum non posse denominari ex respectu, qui non subiectetur in ipso, vt patet in Verbo diuino, quod intrinsecè manet vnum ex vniōe non existente in ipso vt in subiecto: nam ponere ex parte Verbi aliam vniōem, omnino est impossibile, vt rectè P. Suarez Tom. 1. in 3. Partem disput. 8. sect. 8. de quo fuit Theologi. Breuiter tamen sic reicitur, quia denominatio seu essentia vniōis illius est intrinseca Verbo adæquatè; ergo vel fuit ab æterno cum ipso Verbo, etiam in ratione vniōis, quia etiam vt sic non distinguitur à Verbo: vel si in tempore incepit, ergo realiter distinguitur à Verbo; quia entitas seu formalitas, quæ separatur

realiter & aduenit ac discedit manente subiecto, realiter ab illo distinguitur. Quod si hi confugiant ad latebras Connotatorum, illuminandi sunt ex his quæ contra hæc connotata Disputatione xii. Logica à numero 31. fusè dixi.

Sed si semel gratis concedamus eam vniōem indistinctam à Verbo, cur ergo etiam non concedatur alia vniō indistincta ab ipsa formā, quæ ex defectu connotati, scilicet vniōis tenentis se ex parte materiæ, non fortitur rationem vniōis, quando anima est separata? Sicut etiam ipsi dicunt, similitudinem esse indistinctam à fundamento, non tamen sortiri rationem similitudinis, nisi posito fundamento. Vnde non video, quā consequentiā hi Auctores admittentes connotata, ponant duplicem vniōem, propter argumentum supra factum.

Secundò arguunt: Quia modus vnitur duplici vniōe cum re cuius est modus; ergo & alia formæ vniuntur cum subiectis duplici vniōe. Probatur Antecedens; quia modus per suam essentiam est vniō inadæquata, item & subiectum cui vnitur modus, est etiam vniō inadæquata; ergo modus cum subiecto vnitur duplici vniōe. Respondeo Primò, negando Antecedens, quia tota ratio vniōis modi cum subiecto, tenet se ex parte ipsius modi, qui de sua essentia est affixus subiecto, non verò ex parte subiecti, quod omnino independens est ab illo modo. Secundò, quidquid sit, an subiectum sit partialis vniōi necne, in præsentem solum disputamus, vtrum danda sit duplex vniō ab vtroque extremo distincta; hoc autem tantum abest vt inferatur ex vniōe modi cum subiecto, vt potius videatur inferri, nec vnicam vniōem distinctam esse ponendam, quia nihil intercedit inter modum & subiectum, quod sit vniō. Imò hi arguunt Nominales, ad negandam omnem vniōem distinctam, vt supra vidimus, vbi etiam ei argumento ex hac parte respondimus.

Tertiò potest argui: Quia eadem forma non potest esse in duobus subiectis disparatis inter se, qualia sunt materia & forma; ergo debet in quolibet poni propria vniō. Sed contra Primò, quia materia & forma ad receptionem vniōis, siue vnica sit siue duplex, non se habent disparatè, imò potius pendent essentialiter vna ab alia; ergo rectè poterunt per vnicam formam vniri. Contra Secundò, quia hoc summum probatur, vniōem, si sit simplex, solum subiectandam in vno extremo, iuxta dicta supra.

Sed vrgent hanc secundam solutionem, Quia vtrumque extremum debet perfici per vniōem, ergo vniō debet esse in vtroque. Facile negarent, qui ponunt vniōem in vnico extremo, vtrumque debere perfici per illam; quia id non est necessarium, vt resultet vnum per se, vt patet in Christo, sed de hoc infra. Hæc recentiores nonnulli.

SUBSECTIO SECVNDA.

Alia eius duplicis vniōis fundamenta diruta.

ALIJ verò probant eam sententiam: Quia homo essentialiter constat duplici vniōe, ergo & reliqua composita. Antecedens probatur, quia vnica vniō non potest subiectari in animā spiritali, & in corpore materiali, ergo debet esse duplex.

55 duplex. Falsum Antecedens: rectè enim potest idem accidens vel modus substantialis materialis pendere, ut à subiecto, à re materiali & à spirituali, de quo fufius Disputatio I. de Anima, à numero 98. Deinde mala consequentia Primò; quia potest quis respondere, solum subiectioni vnionem in materiâ, nec necessum esse, aliam ponere in formâ iuxta proximè dicta. Secundò, quia licet in homine ea duplex vnio poneretur propter rationem dictam, non tamen ponenda esset in aliis cõpositis omnino materialibus; quia in illis deficit necessitas multiplicandi vnionem quæ reperitur in homine. Et sicut in Christo non ponitur nisi vnica vnio, tenens se præcisè ex parte humanitatis, quia est ibi aliqua specialis ratio ne subiectionis in Verbo; & inde non licet inferre, in aliis cõpositis, in quibus deficit ea ratio, ponendam esse vnica præcisè, tenentem se
56 solum ex parte vnus extremi: ita neque è contrario, quia in homine propter animi spiritualitatem duplex ponatur, licebit inferre, in aliis entibus, in quibus deficit spiritualitas, ponendam etiam esse duplicem.

Secundò arguant efficacius: Quia in sententiâ distinguente relationem à fundamento & termino, non sufficit vnica relatio, ut vtrumque referatur inuicem, sed debet poni duplex; ergo similiter in vnione. Respondeo Primò, requiri duplicem relationem, quia extrema relata per similitudinem sunt in diuersis locis, vnde vnica relatio non potest esse in illis; secus in materiâ & formâ, quæ ut vniantur debent esse penetrata.

57 Sed replicabis: Relationes esse in diuersis locis, oritur ex eo quòd sint distinctæ: si enim non essent distinctæ, non possent esse in diuersis locis; ergo non das bonam rationem, idè scilicet esse distinctas, quia sunt in diuersis locis. Sed qualis est hæc impugatio? Nos non videmus relationes neque vniones in se: si enim hoc esset, nullam hic haberemus questionem. Querimus ergo de fundamentis à posteriori, vnde colligamus an sint duæ an vna. Quoad hoc autem quòd melius indicium, quàm videre relationem esse in distinctis locis, ut inde inferatur; ergo non potest esse vna indiuisibilis? Vel si in relationibus habes aliquem scrupulum, argue ex subiectis relationum: Petrus enim est in Indiis, ego hic, & hoc antecederet ad relationem; quomodo ergo poterimus ambo habere vnica numero relationem? In vnione autem, quia eius subiecta sunt in eodem loco, rectissimè infero, ex hoc capite non repugnare eam esse vnica, licet ex distinctione, ut à ratione à priori, proueniat capacitas
58 existendi in duobus locis. Numquid non licet à posteriori arguere, homo discurrit, lapis non, ergo homo est rationalis, lapis vero non, etiam si rationalitas sit causa & ratio à priori discursus, & non è contrario?

Secundò potest responderi, vtrumque extremum relatum per similitudinem debere habere relationem distinctam: quia cùm extrema sint eiusdem omnino rationis inter se, ut sunt duæ albedines, non potest esse vlla ratio, cur in vno potius quàm in alio ponatur relatio; vnde vel in vtroque vel in nullo poni debet: at verò cùm materia & forma sint diuersæ in specie, posset excogitari aliqua ratio, ut vnio solum poneretur in

vno extremo, & non in alio, casu quo eadem in duobus non posset.

Sed vrgebis adhuc: Quia relatio indistantiæ, vel relatio similitudinis inter rem & modum est duplex, & tamen extrema sunt penetrata; ergo vnio materiæ & formæ etiam erit duplex, licet hæc sint penetrata. Respondent aliqui, concessò Antecedenti quoad vtramque partem, & negatâ consequentiâ; quia etiam si relatiua sint penetrata, referuntur tamen inter se eadem relatione, ac si essent separata, seu more separatorum, ut hi dicunt, & consequenter duplici relatione; materia autem & forma ita referuntur per vnionem, ut nisi penetrata sint, referri nequeant.

Arbitror, concessò Antecedente, negari benè non posse consequentiam: quia sicut tu dicis, res essentialiter penetratas referri duplici relatione, quia referuntur eodem modo ac si essent separata; idem etiam dicendum est, hæc extrema vniri 60 eodem modo ac si non essent penetrata, & sicut vniantur partes integrantes quæ sunt in diuersis locis; ergo sicut hæc vniantur duplici vnione, ita & illa. Nec valet dicere, materiam & formam non posse separatas vniri ut actum & potentiam: nam etiam non possunt referri res & modus relatione similitudinis, nisi coniunctæ sint, & tamen per te, hoc non obstante, referuntur more separatorum; ergo etiam materia & forma possent vniri more non separatorum. Quòd autem conceptus relationis ut sic, non petat extrema esse simul in eodem loco, parum obest: nam etiam conceptus vnionis ut sic non petit materiam & formam esse penetratas, nam vnio partium integralium est vera vnio, & non requirit partes penetratas.

Sed dices: Ergo actio & effectus non durabunt nisi vnica duratione, quia non potest actio durare sine effectû. Respondeo, hanc obiectionem esse 61 contra te, qui solum ponis vnica vnionem, eò quòd superflua sunt duæ, & aliunde in actione & effectû ponis duas durationes, cùm sufficiat vna. Videas quam teneas consequentiam. Ego obiectioni & num. 59. respondeo, quidquid sit de duratione (de qua infra) non ponendas esse duas relationes distinctas inter extrema essentialiter inter se penetrata, vnde negatur etiam in materiâ & formâ duas esse ponendas vniones, ut replica supra facta contendeat. Cùm nonnulli recentiores hanc solutionem aliis meliorem iudicarent, nec haberent vnde eam solidè impugnarent, dixere, satis magnam esse necessitatem ponendi relationes aut vniones duas, ne paradoxè diuagetur à communi sententiâ, vnus entitatis vitandi causa: neque curandum esse, multiplicare entitates sine necessitate, dum aliunde non ostendatur absurdum multiplicatis. Ego 62 vellem, ut hi sibi essent constantes. Quid enim illos mouit, ut contra communem sententiam potentias ab animâ non distinguere, nisi quia non sunt multiplicandæ entitates sine necessitate? Neque enim vllum aliud habuere argumentum. Si ergo, ne multiplicent entitates sine necessitate, deleuerunt ipsi communem sententiam; mirari non poterunt, à nobis defendi communionem de vnica vnione, propter idem argumentum. Quid ipsos ita vrget, ut contra euidentissimum argumentum (de quo suo loco) durationem distinguere negent? quia dicunt, non esse multiplicandas entitates sine necessitate. Quomodo ergo

ergo iam hinc sui obliui, illud principium ita continentur, quo nihil ipsis familiarius in innumeris materiis? Adde, falso dicere, nos discedere à communi sententiā, ut defendamus illud principium: nam communior est sententiā, non distinguens duas uniones; est enim P. Suarezij, Vasquez, & fere omnium in Societate. quomodo ego ergo vagor paradoxæ? Quod si loquantur de meā opinione, vnicam relationem similitudinis ponente inter res essentialiter penetratas, casu quo relatio distinguatur; certe hoc à nullo ex proposito, nisi à duobus vel tribus recentioribus, disquisitum est. Deinde, si hoc est paradoxum, quid erit, nec vnicam relationem admittere distinctam? quod ipsi faciunt, moti argumento de non multiplicandis entitatibus sine necessitate, in quo eos non reprehendo, sed noto inconsequentiam ad punctum præsens.

64 Tertiò arguunt: Quia materia refertur ad formam per unionem, & forma ad materiam; sed hoc nequit fieri vnicā unionem, ergo debet esse duplex. Iterum hinc consequentiam deferunt: aiunt enim, repugnare per vnicam rem duo extrema inuicem referri, & tamen ipsi vnicam indivisibilem unionem ponunt in continuo, per quam utraque pars vnita inuicem referatur. Iam ergo ruit ibi fundamentum ipsorum, neque video ad hoc quid dici possit.

Adhuc virgeo: Per actionem refertur agens ad effectum, & hic rursus ad agens; ergo vnica res potest inuicem duo extrema referre. Huic ultimæ instantiæ respondent Primò, non esse de conceptu actionis, referre duo extrema, quia creatio in eorum sententiā non distinguitur à re creatā, tunc autē non potest esse ille respectus creatis ad terminum, & termini ad creatam. Sed contrā, quia etiam non est de conceptu unionis, sic, referre duo extrema inuicem, ut ipsi docent, & constat in vnione hypostaticā, per quam Verbum non refertur ad humanitatem. Quod si hæc mutua relatio est de conceptu specifico talis unionis, ita de conceptu specifico actionis mediā distinctā à causā & effectu est, referre ea duo mutuo inter se; ergo sicut ibi vnica actio potest ea duo referre, ita etiam hinc poterit vnica vnio idem præstare, nec potest esse clarior instantia. Cui adhuc Secundò respondent, actionem non referre intrinsecè causam ad effectum, ideò posse 66 esse vnā pro utroque. Sed contrā, quia ipsi fatentur, rem vnā posse in duobus subiectis recipi; & in hoc quod sit intrinseca duobus, non inueniunt difficultatem, si aliunde posset duo referre inuicem, iam autem ostendi hoc vltimum fieri posse exemplo actionis. Quod verò actio non sit vtrique intrinseca, non eos iuuat; quia in hoc non habebant hi difficultatem, & fatentur, eandem formam duobus subiectis posse esse intrinsecam; cur ergo impugnant meum exemplum, petendo repugnantiam ex eo capite, vnde prius docuerant nullam posse deduci? Certe vel in hoc apparet solutionis debilitas. Adde, aliquem fortasse posse dicere, per actionem & passionem saltem passum referri intrinsecè ad terminum, & hunc ad passum, quia reseducta eo 67 ipso est intrinseca passio. Sed ego hanc impugnationem insinuo, quia scio valituram apud aliquem, metamen non virget: sufficiant præcedentes. Respondeo ergo absolute argumento è nu-

mero 64. vnā eandemque rem posse esse mutuum respectum duorum inter se; quia licet extrema se respicientia debeant esse distincta, respectus tamen duarum rerum non necessariò est duplex, eadem enim actione multæ causæ concurrunt ad effectum, & per illam omnes illæ causæ illum respiciunt.

Vltimò arguunt: Quia vnio est materializatio & informatio; sed hi conceptus distinguuntur realiter, ergo vnio debet esse duplex realiter. Nego Minorem, quia materializatio nihil aliud est, quàm receptio, seu vnio prout se tenet ex parte materiae, & informatio eadem receptio, prout se tenet ex parte formæ: atqui non est necessum, 68 distinguere unionem ex eo quod sit in materiā à se ipsā, eò quod sit in formā; ergo nec quia sit materializatio & informatio. Fateor, ratione distinguuntur hi duo conceptus per ordinem ad duo subiecta, sicut animal à rationali per ordinem ad diuersas operationes. At realiter cur?

SUBSECTIO TERTIA.

Unio est simplex.

SECUNDA ergo sententiā, docens, unionem esse omnino simplicem, est omnino vera. Pro eā stat P. Suarez Disput. 3. Metaphysicæ, sect. 9. num. 13. P. Vasquez 1. Tomo in 3. Partem disputatione 9. num. 23. & recentiores communiter. Probatur à nonnullis, quia vnio essentialiter est vinculum duorum extremorum, ergo non potest dari vnio adeò partialis, quæ non vniet duo extrema; ergo superflue sunt duæ uniones. Hoc argumento ego non vtar, quia vnio continuatiua est verè vnio, & tamen non sufficit vnica (ut infra dicemus:) licet enim de conceptu communi unionis sit, esse vinculum duorum extremorum, non tamen ideò est de conceptu unionis ut sit esse vinculum perfectum. Possent ergo aduersarij duas requirere uniones, non quia qualibet non vniret duo extrema, sed quia qualibet non vniret perfectè & adequatè, ut patet in continuatiuæ unionis exemplo.

Est ergo probanda nostra sententiā argumento communi, Quia nulla est prorsus necessitas ponendi duas uniones, ut patet è manifestā solutione argumentorum, quæ pro duabus fieri possunt, ergo tantum vnica ponenda est; nec enim sunt multiplicandæ entitates sine necessitate.

Sed dices, tunc solum multiplicari entitates, 70 quando qualibet est sufficiens ad præstandum idem quod vtrique, non autem multiplicari, quando qualibet solum est inadæquata: perinde enim est duas ponere entitates partiales, ac vnā æquivalentē duabus, ut patet in causis. Licet enim repugnent naturaliter duæ causæ totales, vel vna totalis, & alia partialis, non tamē repugnant magis duæ partiales, quàm vna totalis; ideòq, communis sententiā docet, si duo ignes aquè applicentur passo, producendum ignem ab utroque ut à causā partiali; ergo non est superfluum duas uniones partiales ponere, foret fortè, duas ponere totales, vel vnā totalem & partialem aliam. Respondeo, non solum esse superfluas 71 duas uniones vel causas totales, sed etiam duas partiales, quando vnica totalis sufficit; & non est aliqua ratio in contrarium cogens, quod & supra

Cc

Dispu-

Disputatione II. à num. 136. ostendi in simili. Quod verò duo ignes applicati concurrant partialiter sine superfluitate, idè est, quia est aliqua ratio cogens ad concedendum vtrique concursum, scilicet æquale vtriusque ius, æqualis approximatior, & non dispar perfectionis gradus, idè vel negandus vtrique concursus, vel permittendus vtrique. Ob similem rationem dicimus, etiam in vnione continuatiua ponendas esse duas partiales, & non vniam totalem indiuisibilem, quia non est maior ratio cur ponatur in vnâ parte, quàm in aliâ; in vtraque autem nequit vnica 72
existere, quia subiecta sunt in duobus locis; ergo ponenda est duplex: at verò in vnione materiæ & formæ non datur vlla ratio cogens ad ponendas duas partiales (vt iam vidimus) solum ergo ponenda est vnica totalis. Imò adde, in exemplo de ignibus nullam esse multiplicationem, quia entitates ignis, siue concurrant siue non, sunt semper in se duas; actio autem, etiam si vterque ignis concurrat, vnica est; ergo eò quòd actio à duabus causis procedat, nihil multiplicatur. Et hoc exemplo confirmatur potius, quàm impugnatur nostra sententia, vniam ponens vnionem, receptam tamen in materiâ & formâ; sicut in exemplo ignium vnica ponitur actio, procedens tamen à duplici causâ, eò quòd non sit maior ratio de vnâ quàm de alterâ.

73 Ex dictis inferes, in ordine ad potentiam absolutam nullam esse repugnantiam in eo quòd materia & forma vniantur duplici vnione; superfluitas enim non obest in ordine ad potentiam absolutam. Et hoc concedo libenter P. Hurtado contra aliquos recentiores: aduerto tamen, tunc eas duas vniones futuras supernaturales materiæ & formæ, quæ non habent naturalem capacitatem ad res superfluas. Nec potest argui, Ille vniones sunt possibiles supernaturaliter, ergo & naturaliter: constat enim ex dictis, in rebus superfluis hanc consequentiam nullam esse. Imò &, licet vnio aliqua duplex naturaliter esset possibilis (quod valde probabile puto) tamen nos, qui non videmus an sit duplex an vnica, semper debemus vniam ponere, ne gratis multiplicemus entitates sine fundamento, quod suppono nullum esse quoad nos, etiam si forte in re esset duplex vnio.

SECTIO III.

Vnio distinguitur à causalitate, quâ forma producitur.

74 **Q**UÆRIMVS, an dentur duo modi distincti, vnus, quo forma equi v.g. producatur ab agente, & ab ipsâ materiâ; alter, quo materia & forma inuicem inter se vniantur. Dixi de *forma equi*, quia in animo rationali, qui conseruatur independentem ab vnione ad materiâ, nulla est difficultas; ibi enim manifestè constat, eam actionem esse ab vnione distinctam, vnio enim pendet essentialiter à materiâ, actio verò non; ergo sunt realiter distinctæ, quæstio ergo est de solâ formâ materiali.

Negant nonnulli recentiores eas distingui, quibus P. Suarez Disp. 13. Metaphysicæ sect. 9. n. 11. clare fauet, etiam si postea in fine Sectionis obscurius locutus eis aduersari videatur.

Mouentur Primò, quia pereunte vnione formæ equinæ v.g. cum materiâ, perit actio quâ forma conseruabatur, forma enim equina non conseruatur sine vnione ad materiâ; ergo ea vnio non distinguebatur à causalitate. Hoc argumentum facile soluitur, inde enim solum infertur, causalitatem illam pendere ab vnione, non verò probatur esse idem, sicut pereuntibus dispositionibus perit forma, quæ non propterea idem est cum dispositionibus.

Secundò possunt moueri, quia materiam causare formam, idem est (quod per se clarum videtur) ac illam recipere: vterius, materiam recipere formam, est idem ac illam sibi vnire; ergo vnio, receptio, & causalitas idem sunt. Sed neque hoc virget: aliud enim est, formam à materiâ causari seu produci; aliud verò, vtramque inuicem vniri, hoc enim potest ab illo, & è contrario separari. Si enim forma equi diuinitus crearetur, eodem modo posset vniri materiæ ac nunc, esset tamen in eo casu vnio sine causalitate. Posse verò eam causalitatem materialem esse sine vnione, dicam Disputatione VII. num. 13. ergo non sunt idem causalitas, receptio, & vnio. Admitto ergo argumentum, receptionem & vnionem esse idem, nego verò, receptionem esse idem cum causalitate.

Tertiò: Quia inhærentia accidentis non distinguitur ab eius vnione cum subiecto, ergo idem erit de dependentiâ formæ substantialis. Sed negatur Antecedens: accidens enim producit per causalitatem distinctam, cuius ipsum est purus terminus productus, vnitur verò per vnionem, quam ipsum simul cum subiecto causat materialiter, vt dicam Sectione 4.

Quartò tandem possunt moueri, quia non est vlla necessitas distinguendi eam vnionem à causalitate in formam, ergo. Sed huic respondebitur, dum nostra sententia confirmabitur.

Contrariam sententiam, vt communior & probabilior, defendunt recentiores. Eam tradit Hurtado Disp. 5. sect. 2. & 3. eandem & ego sequor; video tamen, non solidè ab omnibus probari. Quidam ergo sic arguunt, Primò, quia ratio dependentiæ seu productionis formæ ex materiâ non est ratio vniendi formam cum materiâ, ergo distinguuntur ea duo. Patet Antecedens in vnione animæ rationalis cum corpore, vbi est ratio vniendi, & non est dependentia à materiâ. Hoc argumentum nullum prorsus est, quia eo solum probatur, vnionem vt sic non esse causalitatem, hoc enim benè infertur ab vno singulari; verum nullatenus inde sequitur, nullam vnionem esse causalitatem, non aliter ac si quis argueret, animalitatem & rationalitatem in homine esse realiter distinctas, quia tota ratio animalitatis reperitur in equo, vbi nulla est rationalitas. Facile ergo concedent aduersarij, in homine vnionem non esse causalitatem. Item generationem seu causalitatem vnionis humanæ, non esse ipsam vnionem, sed viam ad illam, quod arguens in argumenti confirmatione ostendere conatur. Dicent tamen, quid inde ad alias vniones & causalitates specie & genere diuersas, vt in omnibus speciebus constat, vbi non licet ab vnâ ad aliam arguere, iuxta dicta?

Secundò iidem arguunt: Quia si vnio esset generatio formæ, sequeretur, vnionem termina-

riat seipsam, quia generatio terminatur ad vniōem formæ cum materiâ. Quod si respondeas, generationem ad solam formam equi v.g. terminari; virget, Generatio non terminatur ad formam secundum se, sed prout vniatur, ergo ad vniōem. Cuius eam à priori ratione reddunt, quia vniōis essentia est esse vinculum duorum productum per actionem à se distinctam, ergo ipsa non est actio, quia actionis non datur actio. Confirmatur: vniō est de conceptu compositi, actio autem non, ut patet ex D. Thomâ, nolente personas diuinas per originem constitui, quia hæc est instar actionis. Hæc replica & confirmationes omnino displicent; quia aduersarij negabunt generationem terminari ad formam prout vniatur, sed solum terminari ad formam, & simul formaliter eam vniere. Quod verò dicitur, de essentia vniōis esse, ut producat per actionem distinctam, petit manifeste principium, & supponitur quod ab aduersariis negatur. Confirmatio vltima est euidenter contra arguentes: si enim actio est extra conceptum rei, quomodo ipsi identificant creationem cum Angeli & animæ rationalis substantiâ? Vel quid iam dicent D. Thomæ? Vbi aduerte, actionem idem à nobis poni distinctam ab essentia, non quia actio ex suo conceptu sit accidens, cui repugnet identificari cum substantiâ, sed, probatâ prius aliorum actionum distinctione, propter argumentum commune de separabilitate. Inde vltimius inferimus, actionem eam, quæ distinguitur à re, non esse de conceptu, & substantiâ illius. Quando autem non admittitur talis actio distincta (vt ab his arguentibus in Angelis, materiâ primâ, & animo rationali non admittitur) tunc proculdubio ratio actionis illis identificata, debet realiter esse idem cum substantiâ. Idem dicent aduersarij in casu præsentis, scilicet actionem, quæ equus producit, quia non distinguitur realiter ab ipsâ vniōe formæ cum materiâ, quæ vniō est de conceptu equi; idem ipsam etiam actionem esse de conceptu equi, non quatenus

actioem, sed quatenus vniōem: Neque hoc potest vilo modo probabiliter impugnari, nisi ostendendo, esse necessarium vt ea vniō habeat actionem distinctam quâ producat, quod præterito argumento non probatur, etiam alio disparato possit. Ad D. Thomam respondebunt Theologi 1. Parte, vbi cum explicui pro meâ sententiâ. Iam aduerto, ex eo contrarium in præsentis deduci contra argumentantem: docet enim Angelicus Doct̃or, realiter & virtualiter personas componi originibus, compositioni autem virtuali in diuinis respondet realis in creatis; ergo ex hac parte bene potest realiter in creaturâ identificari actio cum substantiâ. Ratione autem nostrâ eas componit conceptu personalitatis, quia magis sumus assueti personalitatem concipere vt substantiam, quàm ipsam actionem: hæc enim aliquando est substantia in creaturis, aliquando non; personalitas verò semper est substantia. Ex hoc autem modo concipiendi nihil circa distinctionem realem.

83 Probanda ergo est hæc nostra sententiâ: quia ipsi aduersarij farentur, ignem in primo instanti generationis quo producit, & in secundo quo conseruatur (& idem est de omnibus aliis rebus materialibus) esse eundem numero (nisi fortè

aliquantulum in secundo instanti creuerit vel diminutus fuerit, quod ad præsens non attingit) ergo vniō illius non erat actio quâ productus fuit. Patet euidenter consequentia, quia actio mutata est; in primo enim instanti productus est à causâ efficienti secundâ, in secundo verò iam à solo Deo conseruatur: ergo iam sunt actiones distinctæ, non autem vniōes; quia cum vniō sit essentialis igni, si ea mutatur, mutabitur etiam ignis, saltem inadæquatè. Hoc argumentum dixi non esse omnino efficax, quia si vellent aduersarij negare, eundem esse essentialiter ignem in primo & in secundo instanti, facile id posset, nec nos haberemus vnde eos redargueremus: & propter hanc à me datam solutionem, postea reiecerunt nonnulli hoc argumentum. Fateatur tamen tandem, habere vim, quia non solum sequitur numero distingui, sed etiam specie: nam actiones quæ à diuersis causis procedunt, sunt specie diuersæ, de quo Disputatione ix. à nu. 65. ergo cum in primo instanti ignis producat ab alio igne, in secundo verò à solo Deo conseruetur, necessum est actiones esse specie diuersas, & consequenter vniōes cum illis identificatas, & tandem ignem in secundo instanti diuersum esse specie à seipso in primo. Fateor, hoc sequitur: sed si aduersarij velint hoc etiam admittere, tam difficile redarguerentur asserent es hanc distinctionem specificam ex parte vniōis, quàm ponentes solam numericam; quia ex sensu & experientia non magis nobis de vnâ quàm de aliâ constat. Habet ergo argumentum vim vtroque modo, quatenus & ipsimet aduersarij semper supponunt, etiam numero idem esse compositum in vtroque instanti.

Possent & alius etiam argumentari: Causalitas formæ equinæ potest diuinitus manere sine vniōe, si conseruetur ea forma extra subiectum; & ea vniō sine causalitate, si forma creetur, & vniatur materiæ; ergo & vniō & causalitas distinguuntur, quandoquidem inuicem possunt separari. Sed non virget: dicent enim illi, eo casu non mansuram hanc specie causalitatem, sed aliam diuersam; à se autem non doceri, omnem causalitatem materiæ in formam esse idem cum vniōe, sed præcisè hanc quæ de facto datur: per hanc autem nec diuinitus posse causari formam, nisi vniatur materiæ; nec vniiri, nisi causetur, etiam si possit per aliam specie diuersam.

Possent vltimius suaderi nostra sententiâ illis rationibus, quibus Sectione iv. ostendam vniōem debere etiam à formâ causari materialiter; inde enim constat, eam vniōem non posse esse generationem formæ: aliâs dum forma eam causaret, causaret etiam seipsam; causaret enim actionem sui, quod repugnat, vt aliunde suppono. Sed neque hoc argumentum conuincit: quia (vt ex eâ Sectione 4. constabit) non est efficax vlla ratio, sed solum probabilis, ad dicendum, vniōem debere etiam in materiâ recipi. Vnica ergo est huius sententiæ probatio num. 63. facta.

Aduerte, idem esse dicendum de vniōe accidentium realium, scilicet eam esse distinctam à productione ipsorum accidentium: nam idem calidum est in primo instanti quod in secundo, non tamen est eadem productio caloris; quia in primo producit à Deo, & ab alio calore, in secundo autem instanti non conseruatur iam à calore

lore producente, sed vel à solo Deo, vel à Deo & manu, &c.

SECTION IV.

De Vnionis subiecto.

- 87 **Q**Uia per vnionem videtur vtraque pars perfici intrinsecè, non meliùs poterit decidi quomodo vtraque pars circa vnionem se gerat, quàm præmittendo quid requiratur vt vna res ab aliâ perficiatur.

SUBSECTIO PRIMA.

Subiectum informationis non petit causalitatem in formam, aut vnionem.

DOCVI olim, non opus esse sustentatione, vt vna res aliam informet vel perficiat. Id ostendi exemplo animi rationalis, qui corpus verè informat & perficit, à quo tamen non sustentatur. Addidi etiam exemplum à subsistentiâ Verbi petrum, hæc enim etiam perficit humanitatem sine dependentiâ ab ipsâ: quam doctrinam nonnulli reiciunt, opinantes, nullam rem posse perfici, nisi ab eâ quàm materialiter causat. Mouentur Primò, quia perfectio non est sine motu, motus autem non est sine causalitate. Secundò, quia aliunde non potest explicari, cur Verbum non perficiatur per vnionem humanitatis, quandoquidem verè denominatur intrinsecè ab illâ vnium, &c.

- 88 Res hæc debet exactè declarari, & quidem Primò doctrina horum manifestè reijcitur, quia materia prima non solum perficitur per vnionem cum animo rationali, quàm causat materialiter, sed multo magis & principalis per ipsum animum, quem nullo modo causat; ergo, si perfectio in genere causæ formalis non prouenit nisi à motu formaliter, id est à re causata materialiter, non poterit materia perfici ab animo rationali quem non causat, sed à solâ vnione quàm producit materialiter.

- Dices: Perficitur ab animo mediante vnione quàm causat, etiam si non causet ipsum animum. Sed contra, quia dicitur, humanitatem Christi Domini non perfici propriè per subsistentiam Verbi, sed solum per vnionem receptam in humanitate, quia subsistentia non causatur ab humanitate, licet causetur vnio ad eam; vnde ego sic euidenter arguo: Ergo etiam causetur vnio ad animum rationalem, quia tamen hic non causatur, non magis perficitur materia per animum, quàm non perficiatur humanitas Christi per subsistentiam Verbi, quia neuter in se causatur, vtriusque autem vnio causatur. Neque poteris respondere, discrimen esse, eò quòd animus etiam in se recipiat vnionem quàm non recipit Verbum; hoc enim nõ esset ad rem, quia hæc differentia bona est ad explicandum, quomodo animus in se perficiatur per vnionem, non verò Verbum: in ordine autem ad perficiendam materiam parum vel nihil conducit vnio in animo recepta, quia non perficitur materia per vnionem in animo receptam, sed per receptam in se, in quâ sunt æquales & humanitas respectu Verbi, & materia respectu animi rationalis; non ergo duo hæc tua principia coherant.

Secundò eam responsionem impugno ratione à priori: quia licet vnio sit via in genere vnionendi, & ideo per illam animus reddatur vnitus, & consequenter communicans effectus formales qui ab vnione per se pendunt; in genere tamen motus, seu causalitatis, vnio non est via respectu animi, quia per illam animus nullo modo causatur, ergo perfectio, quæ communicatur à formâ per dependentiam sui, non potest ab animâ communicari mediâ vnione, quia per eam vnionem anima neque est neque sit dependens materialiter à materia. Confirmatur: in genere causandi materialiter, iuxta horum principia, omnino æqualiter se habet corpus & anima rationalis, quilibet enim causat suam partialem vnionem; ergo in genere causandi non est differentia, & tamen corpus est subiectum receptionis respectu animæ, & non è contrariò animus respectu corporis; ergo ratio subiecti aliunde est explicanda quàm ex causalitate in eo, ergo speciali & proprio conceptu subiecti, quod tu addideris præter causalitatem vnionis. Dicam ergo, consistere rationem subiecti, etiam si vnio non causetur neque à materia, neque ab animâ, sed per se in vtroque creatur.

Tertiò absolute ostendo, in doctrinâ, quàm 91 impugno, esse repugnantiam: admittitur enim, saltem diuinitus posse manere vnionem materię & formæ, sine illâ causalitate materię in illam (conseruatâ scilicet vnione diuinitus per creationem) quo casu additur, actu & eodem modo ac nunc perficiendam materiam. vnde sic argu-mentor: Actum perfici, non dicit actualement causalitatem materialem; ergo posse perfici, non dicit posse habere eam causalitatem. Consequentia est euident, quia si actu esse album v. g. non dicit actu nigredinem, bene inferitur, Ergo posse esse album, non dicit formaliter posse habere nigredinem.

Dices fortè, hanc formam argumentandi non valere; nam homo potest esse sine discursu, & tamen non sequitur, Ergo posse esse hominem, non dicit posse habere discursum; ergo similiter, licet possit esse actualis perfectio sine actuali motu, non sequitur posse esse sine potentia ad motum. Sed contra, quia essentia ipsius hominis 92 constituitur in potentia ad discurrendum, ideo non mirum, si homo non possit esse sine hac potentia, licet possit esse sine discursu. At in præsentia actualis perfectio materię non consistit in capacitate motus, sed in ipsâ receptione formæ; per hanc enim perficitur actu, non verò per capacitatem motus, quæ hic & nunc ad actum non reducitur; vnde bene infero, Actum perfici, ad æqualem prouenit à receptione, ergo posse actu perfici, prouenit ad æqualem ab hoc quod est posse recipere, & non erit necessum recurrere ad motum.

Dices fortè Secundò, formam huius consequentiæ posse etiam ostendi malam in libertate, vbi actus amoris liber non dicit actum contrarium, aut omissionem illius; potentia verò libera ad eum amorem, dicit potentiam etiam ad omissionem. Respondeo, ibi etiam esse longè aliam 93 rationem, tum quia in meâ sententiâ libertas actus est denominatio extrinseca ab ipsâ potentia ad vtrumque. Non potest autem esse actus liber sine formâ, quâ in ratione liberi constituitur: tum quia in omnium sententiâ, potentia libera essentialiter

tialiter est potentia ad duo opposita diuiniue; hoc autem non habet locum in aliis rebus seu effectibus formalibus. Si enim potest esse pulcher sine diuitiis, bene infertur, ergo ut possit esse pulcher, non est per se necessarium, ut possit esse diues. Ergo vel debes dicere, posse aliquam rem esse subiectum perfectibile etiam per formam, quam nec in se nec in vniōe possit causare, quod ego contendo: vel debes negare, posse actu esse subiectum etiam diuinitus, & actu perfici, nisi actu causet, quod etiam est contra te. Hæc circa in-
consequentiam.

94 Absolutè autem rem manifestè ostendo Primo hac ratione prudenti & fundamentali totius huius materiæ; quia distinctionem vniōis ab extremis, item & causalitatem extremorum in vniōem, non idèo ponimus, quia aliter nequeat concipi anima rationalis informans corpus, & hoc ab illa informatum; hoc enim bene concipitur à negantibus vniōem distinctam; sed eam idèo ponimus, quia in rerum naturâ possunt forma & materia manere, non tamen actu vniri, aut communicantes sibi effectum formalem, aut se complentes. Vnde inferimus, debere dari entitatem quamdam mediam, quæ sit vniō essentialiter connectens vtrumque extremum, ita ut nec diuinitus, nisi connectens, manere queat; quia separabilitas signum evidens est distinctionis realis.

95 Hæc est tota summa nostri discursus circa distinctionem vniōis. Iam autem ex hoc discursu quomodo infertur, vniōem vel formam mediâ vniōem non posse perficere materiam, nisi ea vniō producat materialiter ab ipsâ materiâ? Distinctio vniōis id non probat, ut per se constat: conceptus perficientis id non petit, quia (ut dixi) solum propter argumentum separabilitatis distinguitur vniō; & si illud cessaret, rectè intelligeretur informatio sine vllâ causalitate aut vniōe mediâ; ergo gratis omnino à te id requiritur, & tibi formas principia vniuersalia, quæ nullum habent in se solidum fundamentum, vnde non
96 video vllam repugnantiam in eo quod diuinitus dari possit vna forma, quæ non causetur à subiecto, licet tamen inseparabilis ab illo, & consequenter per se sine vniōe distinctâ connectatur; sicut vniō tenens se ex parte materiæ, per te non causetur ab animâ, à quâ tamen essentialiter pendet? In eo autem casu nihil materialiter causetur ab eo subiecto; non vniō distincta, quia non datur; non forma, quia (ut supponimus) licet non possit à subiecto separari, non tamen ab eo dependet materialiter, ergo potest esse ratio subiecti & formæ sine causalitate materiali, cum solâ receptione & informatione.

97 Dices, Non possum aliter intelligere, cur Verbum non sit subiectum vniōis, nisi hoc dicam. Sed contra, quia si cetera quæ requiruntur ad rationem subiecti propriam, non sunt indigna Verbo, & ea ei tribuis, certè causalitas, seu productio vniōis non deberet ei negari; quia hic conceptus formalis, ut talis, & secundum quod præcisè dicit productionem, non est conceptus imperfectus, sed potius perfectus, debetque Verbo non propter causalitatem, sed propter complementum, aut repugnantiam aliunde petitam, ad nouam in se perfectionem habendam, vel ob aliam rationem, negari ratio subiecti. Deinde, ei

negas rationem formæ respectu humanitatis, quod non potest reduci in eo quod nihil materialiter causet, nam forma, ut talis, non debet aliud in se materialiter recipere, aliâ daretur processus in infinitum formarum vnius supra aliam. Et patet per te, quia ipsa vniō non recipit in se aliam formam, & tamen ipsa denominat & perficit materiam, & est vera forma illius, ergo subsistentia Verbi non excluditur à ratione formæ per hoc quod nihil in se recipiat. Vide ergo vnde eam bene reijcias, & inde etiam eam ego tecum reijciam à ratione subiecti. Quid autem id sit, dicitur in materiâ de Incarnatione.

Confirmo totam doctrinam: quia (ut alibi insinuavi) nos nullam habemus efficacem rationem ad dicendum, subiectum aliquod causare materialiter formam; in se enim eam causalitatem non videmus: experientia autem de dependentiâ formæ à subiecto, non probat eam causalitatem, quia rectè potest pendere vnum ab alio, vel ut à termino, vel ut à subiecto adhesionis, etiam si ab eo non causetur materialiter (ut tu ipse dicis in vniōe tenente se ex parte materiæ, quæ non minus pendet ab animâ à quâ non causetur, quàm à materiâ à quâ causetur) & ob hanc
99 rationem infra Disput. ix. à num. 51. contra nonnullos ostendam, creationem posse distingui à termino, & illi adherere, etiam si ab eo non causetur. Si ergo nulla experientia vel efficax ratio persuadet hanc causalitatem materialem, vnde infero, eam etiam diuinitus necessariam esse, ut vna res informet aliam? Certè id non nisi purè gratis & contra communem sensum à te dicitur: omnes enim supponunt, subiectum ut sic, aliud esse causationis, aliud receptionis; illud requirere causationem, hoc verò non. Confirmo rursus, ipsa causatio materialis est extra conceptum compositi, & ei accidentalis (ut & hi bene docent) quia actio & passio non sunt de substantiâ rei productæ, de quo infra. At ratio informationis & receptionis actualis est essentialis & intrinseca toti, ergo receptio seu informatio in suo conceptu non constituitur per eam causalitatem, ergo si per possibile vel impossibile, sine eâ
100 vel ordine ad eam daretur receptio, saluaretur tota ratio informationis. Malè ergo informationem & receptionem per hanc causalitatem explicas, sicuti si Angeli substantiam explicares per actionem quâ producit. Vnde concludo, subiectum sustentans, prout tale, esse disparatum ad rationem subiecti receptionis, & omnino extra conceptum illius.

SVBSECTIO SECVNDA.

Quid sit subiectum in communi & in particulari.

IAM ergo oportet explicare, quid sit subiectum in communi. Fateor hoc esse difficile; omnibus tamen Auctoribus eadem est difficultas. debent enim omnes admittere, rationem communem subiecti abstrahentis à subiecto informationis purè, & à subiecto etiam sustentationis, ut ex instantiâ corporis respectu anime rationalis constat. Ego putarem, subiectum sustentationis, prout tale præcisè, & prout contradistinctum à subiecto receptionis, magis pertinere ad
101

Cc 3 genus

genus causæ, & melius posse simul cum causâ efficienti sub vnâ genericâ definitione includi, quàm simul cum subiecto receptionis: hoc enim vt tale, est pars componens & perfectibilis, nihilque produciens propriè. Illud verò nihil componit, sed purè producit, etiam si eius productio exigat naturaliter subsequi vnionem rei productæ, cum ipso quo differt à causâ efficienti, quæ talem vnionem non exigit, & conuenit aliquomodo cum subiecto informationis, quatenus eo ipso quod petit subsequi vnionem, petit etiam esse subiectum informationis; quod non sufficit, vt vnica definitione comprehendatur: causa enim & effectus, radix & res radicata formaliter, vt tales, non videntur posse vnâ definitione explicari. Ergo distinguendo prius v-

102

trumque subiectum, sic quodlibet seorsim definitio, fortè postea poterimus pro vtroque communem aliquam definitionem formare. *Subiectum sustentationis est, quod aliquid causat cum naturali exigentiâ, vt illud idem in se mediâ vnione recipiat, & ab eâ physice perficiatur.* Quæ definitio per se satis est clara. Subiectum verò informationis, quod iam reducitur ad rationem partis, potest sic definiti: *est illud quod in se incompletum est, & vnitur alteri à quo perficitur.*

Tò in se incompletum est genus ad subiectum & ad formam: ambo enim sunt in se incompleta, & per hanc excluditur putus terminus, qui non necessariò est incompletus. vnde ostenditur, substantiam Verbi nec formam esse, nec subiectum, quia in se completissima est.

103

Per rō vnitur per se alteri, excluditur subiectum præcisè causans, quod vt tale non vnitur, licet habeat vnionis exigentiā. Hinc autem videtur posse ab vtroque subiecto abstrahi cōmunis ratio, si nō vno ponatur vō formaliter, vel radicaliter. sed hæc magis est diiunctiua definitio, cuius vna pars in vno alia in altero reperitur, quàm vna quæ tota in vtroque reperitur. Dicas ergo, si vnica vis habere, hoc modo, *subiectum est quod in se incompletum est, petique vnionem cum altero à quo perficitur*, hæc conuenit vtrique, quia sustentationis subiectum eam vnionem petit mediâ causalitate, informationis verò per se immediatè. Vtraque autem est vera exigentiā.

104

Maiores est difficultas in distinguendâ formâ à subiecto: sed hæc nobis cum aliis communis est, quia, cur corpus sit subiectum animæ, & non è contrariò, non potest per aduersariorum causalitatem explicari, quia (vt suprà ostendi) quælibet causat suam vnionem: anima verò rationalis neque causat neque causatur à corpore; quoad præsentem ergo difficultatem iam sumus in hoc æquales. Suprà Disput. 2. à num. 17. dixi, cur aliquid vocetur *subiectum*, aliquid *forma*, id huc applica. Dixi autem, subiectum differre à formâ in eo, quod ad eam præsupponitur; ergo vt hæc definitiones subiecti bonæ sint, addatur hoc illis, & breuius sic definitur, *subiectum est quid incompletum & primum ad eam rem cuius vnionem petit vt ab eâ perficiatur.* Iam enim hoc modo etiam forma distinguitur.

105

Hinc concludo, non bene inferri à nonnullis, ex eo quod res incapax motus non possit perfici, debere è contrariò eam quæ perficitur, esse causam materiale; sufficere enim si recipiat etiam sine causalitate: tunc enim eo ipso mutatur seu

mouetur; quod ostendi suprà ex communi sensu Theologorum & Philosophorum in animâ rationali, quia per illam & per vnionem mouetur materia, & tamen solam vnionem causat. Item si actus liberi Dei essent quædam formalitas modaliter à Deo (vt dixit Caietanus) distincta, & ea in tempore inciperet, etiam si non causaretur materialiter à Deo, sed solum in ipso recipetur, in omnium sententiâ Deus mutaretur. Concludo ergo, motum non exigere ex conceptu suo eam causalitatem prout hucusque ostensum est; nisi fiat questio de nomine circa significatum huius vocis.

SUBSECTIO TERTIA.

Quid sit terminus intrinsecus.

Vt plenius, quid sit subiectum, intelligatur, oportet hñc aliquid de termino intrinseco explicare, & eius differentiam à subiecto declarare. Res hæc valde difficilis est. Dicunt nonnulli, terminum intrinsecum esse, qui ex conceptu suo ita attingit aliud, vt petat illud sibi intimè penetratum. Sed contrâ Primò, quia Deus respicit hoc modo creaturas omnes: petit enim essentialiter esse intimè illis præfens, quas tamen non respicit vt terminum intrinsecum. Secundò, non omnis terminus debet esse intimè præfens hoc modo, vt patet in vnione continuatiuâ, tenente se ex parte vnus extremi, quæ respicit aliud extremum, vt terminum intrinsecum, & tamen non sunt penetratæ, sed contiguae. Contiguitas autem immediata, etiam in multorum sententiâ, requiritur inter causam & effectum; aiunt enim, nec operando in medio, posse causam in distans operari. Quæ sententiâ, licet aliunde sit falsa, non tamen idè quia sequeretur ex eâ, causam esse intrinsecam effectui: ergo esse terminum intrinsecum, non consistit adæquatè in eâ exigentiâ intimæ contiguitatis. Vnde merito illi reiciuntur, qui dicunt, idè Verbum esse terminum intrinsecum vnionis hypostaticæ, quia si per impossibile Verbum non esset vbique, ex vi tamen vnionis deberet fieri intimè præfens humanitati: reiciuntur, inquam, quia hi solam petunt præsentiam localem, quomodocumque id explicent, quod manifestè iam reiectum est.

Secundò alijs apud P. Hurtadum hæc Disputat. v. num. 86. aiunt, terminum intrinsecum esse illum, qui cum re quam terminat init compositionem intrinsecam. Hæc reicitur à nonnullis, quia actio respicit vt terminum intrinsecum, rem productam, cum quâ tamen nullam facit compositionem. Sed hæc impugnatio nulla est; quia licet actio non faciat substantialem compositionem cum termino producto, facit tamen accidentalem per se, non minus quàm ex albedine & subiecto; illa enim denominatio producti, quandoquidem est intrinseca, debet esse per vnionem, non quidem distinctam ab ipsâ actione, sed per ipsam; quia est modus intrinsecus termini, idèque vnitur per se illi. Et hoc ab omnibus dicendum est independenter ab hac questione de conceptu termini intrinseci, & ipsemet arguens fatetur, omnem terminum intrinsecum talem habere vnionem. Secundò idem impugnatur, quia illa declaratio relinquit tam obscuram questionem,

ac

ac si nihil fuisset dictum: quia aequè difficilis conceptu est intrinseca compositio, ac terminus intrinsecus. Hæc etiam impugnatio nulla est, quia (vt statim constabit) quid sit intrinsecè componere, magis est notum quàm intrinsecè terminare. Melius ergo impugnantur, quia hæc etiam conuenit formæ & subiecto, ergo non est propria definitio termini intrinseci. Pater Antecedens, quia etiam forma & subiectum ita vniuntur, vt faciant compositionem intrinsecam, item forma & subiectum inuicem referuntur; vbi ergo est differentia puri termini intrinseci, à subiecto & formâ?

Reiectis aliis sententiis, nonnullus ita definit: *Terminus est id, ad quod refertur aliqua res, quæ illi non est extrinseca, & quæ ab illo non pendet in genere causæ materialis, nec alius intrinsece.* Ad-
dit, non esse mirandum, per negationem terminum explicari, multa enim hoc modo definiuntur communiter. Ego benè admitto, multa per negationem defini; verum ipsammetrem positiuam, quæ definitur, explicare per negationem negationis ipsius, hoc non vidi vquam
benè fieri: perinde ac si quis interrogaret, *quid est lux?* responderetque alius, *quod non est tenebra.* Ratio huius est manifesta, quia carentiæ nobis non sunt notæ, nisi ex terminis positiuis quos negant. Vnde si vel terminus positiuus est ignotus, vel est idem de quo agitur, non potest per negationem illius aliquid explicari. Iam verò id fieri in præfenti, patet, quia difficultas tota est ratione illius particulæ *intrinseci*, quia ratione illius redditur difficilis intellectus *terminus intrinsecus*: illa autem declaratur per negationem *extrinseci*, extrinsecum autem est negatio intrinseci. Vides ergo, nihil hic explicari? Confirmo: tanta difficultas est in explicando termino extrinseci, quanta in termino intrinseci, vt consideranti patebit; quia sunt priuatiuè opposita, & explicato vno, aliud eo ipso intelligitur; ergo non
benè vnus per alium explicatur. Vnde in humanitate Christi tota difficultas est in explicando, cur Verbum non se habeat extrinsecè, cui difficultati non præbet faciem hæc definitio. Secundò, si *terminus intrinsecus* est aliquid per se clarum, tunc facilius hoc modo dicere potuisset: *Terminus intrinsecus est, qui vnitur, & non extrinsecè cum alio, neque in genere causæ materialis aut formalis.* nam per verbum *vnitur*, magis quàm per *respicitur*, explicatur intima connexio vtriusque. Ego in hac quaestione, sicut etiam in aliis, suppono, nos debere deuenire ad aliquos terminos vel conceptus ex se, si non euidenter, saltem probabiliter notos, quos non possumus amplius explicare, aliàs in infinitum pergeremus ex vno ad aliud. Hoc posito, dico, quid sit vnio seu nexus duarum rerum inter se. Concipimus id ex materialibus & crassis exemplis, quibus videmus vnā rem vni-
112 ti, coniungi, conglutinari cum aliā. Hinc dicimus: *Vnio est nexus duo inter se connectens*, qui conceptus non potest à nobis amplius explicari, nisi summum excludendo imperfectionem connexionis, materialis quam videmus, quæ non fit immediatè, sed per corpus glutinosum interpositum: physica autem fit immediatè per rem aliam, quæ immediatè est in ipsis rebus vnitis, vel in aliquā illarum, vt suprà dixi.

Ex his dico, terminum intrinsecum esse illum

qui verè & per se vnitur alteri, & non in genere causæ materialis vel formalis. Quoad exclusionem hanc vltimam conuenio cum Auctoribus è num. 109. & per eam ponitur differentia puri termini intrinseci à subiecto & formâ; quæ, licet sint intrinsecus terminus inter se, non tamen puri termini: & ex defectu huius particulæ dixi suprà, definitionem puri termini, secundo loco positam, non esse bonam, nec adequatam. Primam partem definitionis, *quæ verè vnitur per se*, pono tamquam rationem genericam ad purè terminum, & ad subiectum & formam; & in hoc conuenio cum secundâ definitione suprà positâ; puto autem ex se esse eos terminos probabiliter notos. Alij verò termini qui sunt loco differentiar, noscuntur, si sciatur quid sit subiectum, quid forma: tunc enim sciatur quid sit, non vniri per modum subiecti & formæ, & consequenter sciatur, quid sit terminus purè intrinsecus. Quid autem sit subiectum, suprà dixi Subsectione 2. quid sit forma, dicam infra: vtrumque autem à me explicatur, & non per negationem termini puri, ne faciam vitiosum circulum.

Hinc deduco, Verbum diuinum esse terminum intrinsecum, quia verè & propriè vnitur humanitati (vt Fides docet) non verò esse subiectum aut formam, quia non est in se incompletum, quod requiritur ad rationem subiecti, iuxta dicta suprà, & ad rationem formæ, iuxta infra dicenda. Vnde concluditur, necessariò esse purè terminum intrinsecum. Hæc in re ita à sensibus alienâ mihi occurrunt: si clariùs aliquis eam explicuerit, illi libenter acquiescam.

SUBSECTIO QVARTA.

Vnio recipitur in vtroque extremo.

ADVERTE, eos qui non distinguunt productionem formæ ab vniōe, teneri non tenere vnionem vt in subiecto sustentationis in formâ. Ratio est, quia productio nequit habere pro subiecto sustentante ipsum terminum productum: sequeretur enim, idem causare se ipsum, nam causaret productionem sui, quod formalissimè est se ipsum causare; hoc autem omnino repugnat, de quo infra P. Suarez Disp. XIII. Metaphysicæ, sect. 9. circa 2. difficultatem de subiecto vnionis, asseriteam recipi in solâ formâ: tota enim agentis efficientia eò præcisè tendit, vt educat formam ex materiâ, & consequenter vt ponat vnionem formæ in ipsâ formâ. Non video huius consequentiæ vim: licet enim tota vis agentis tendat ad educationem formæ, non idèò vnio debet poni in solâ formâ; sicut neque educio ipsa formæ ponitur in formâ, etiam si ea educio solum tendat ad formam extra causas ponendam. Secundò, agens intendit facere hominem, leonem, &c. ad hoc autem non potius requiritur vnio in formâ, quàm in materiâ.

P. Vasquez eam etiam ponit in solâ formâ, idèò tamen, quia hæc determinatur ad materiam. Sed contrâ: quia etiam materia determinatur ad formam, est ergo par ratio.

Idèò alij eam ponunt in solâ materiâ, quia si vtraque pars esset subiectum vnionis, vtraque deberet supponi producta ante vnionem; atqui forma materialis non potest intelligi producta ante-

antequam vniatur, ergo non potest esse subiectum vnionis. Probatur Minor, quia causalitas materialis includit formaliter vnionem, per quod differt à causalitate efficiendi, quæ eam non includit, ergo non potest intelligi causalitas materialis sine vnione; sed forma non potest esse ante suam causalitatem, ergo neque ante vnionem, ergo nec subiectum vnionis.

Non virget hæc ratio, quia (vt paulò antè dixi) causalitas materialis formaliter non includit vnionem, sed illam exigit pro eo instanti reali in quo est, quo sufficienter differt à causalitate efficiendi nullatenus eam vnionem exigente: vnde rectè potest in aliquo priori intelligi forma producta materialiter à materiâ, etiam si in illo priori non intelligatur vnita illi, sed solum intelligatur petens eam vnionem. Imò valdè probabile censeo cum P. Hurtado Disput. 5. §. 27. posse de potentiâ absolutâ manere formam productam materialiter à materiâ, non tamen illi vnitam, etiam pro toto instanti reali; neque enim vlla est ratio cogens ad asserendum, inter causalitatem materialem & vnionem reperiri connexionem ita essentialem, vt à Deo separari non possint: sufficit enim, si detur connexio naturalis, per quam sufficienter differt à causalitate effectiua, quæ nullatenus eam vnionem nec naturaliter exigit.

118 Igitur dicendum censeo, Vnionem subiectari in vtroque extremo, vt in subiecto receptionis & sustentationis. Hæc est communior. Probatur quoad primam partem de receptione, quia non est vlla ratio, cur specialius eam ponamus in vno quàm in altero: vtrumque enim æqualiter vniatur alteri, & vtrumque incompletum est substantialiter, egerque perfectione ab vnione communicandâ, ergo hæc est in vtroque, vt in subiecto receptionis. Quoad secundum, verò de sustentatione, eodem etiam argumento, quia non est vlla ratio, cur debeat magis ab vno extremo quàm ab altero causari; vtrumque enim videtur æquè potens, applicatum, &c. & vnio æquè ab vtroque pendens, ergo æquè ab vtroque causabitur. Confirmatur tota Conclusio: quia licet 119 (vt hucusque ostendi) possit intelligi, quâ ratione res aliqua intrinsecè vniatur per vnionem, cuius tantum sit terminus intrinsecus (vt patet in Verbo diuino humanitati vnito) negari tamen nequit, quin difficulter percipiatur & explicetur, in quo sita sit essentia purè termini intrinseci; facile autem intelligatur, quâ ratione possit extremum vniri per formam in se receptam. Non est ergo, cur in præsentem ponamus vnionem in vno extremo vt in subiecto, & in alio vt termino; sed æquius erit, eam ponere in vtroque vt in subiecto receptionis, quæ erat prima pars nostræ sententiæ. Quod verò vtrique pars debeat esse subiectum etiam sustentationis, constat à simili de omnibus aliis formis, quas ponimus dependentes materialiter à suis subiectis, exceptâ rationali, quia creatur; & exceptâ etiam ipsâ actione creatiua, respectu sui termini, propter specialem difficultatem: quia scilicet actio non potest causari 120 villo modo nec materialiter à suo termino (de quo fusiùs infra) vbi autem cessant rationes difficultatis, semper dicimus, subiectum informationis esse etiam subiectum sustentationis. Idem ergo erit de vnione respectu formæ & materiæ, sicut

etiam de subsistentiâ dicam suo loco, propter eandem rationem in vtroque extremo recipi & causari materialiter. Neque video vbi in hoc modo discurrendi inuenerint aliqui recentiores inconsequentiam quam obicere possent. Hinc intelliges, quid sit in vnione informatio & materializatio; illa enim eadem vnio vt comparata cum materiâ, & quatenus per eam materia vniatur formæ, dicitur materializatio; quatenus verò eadem vnio tenet se ex parte formæ eam vnienis materiæ, dicitur informatio: qui duo conceptus non realiter (vt P. Hurtadus vult) sed ratione distinguuntur, quatenus possumus concipere vnionem recipi in materiâ, non concipiendo eam recipi in formâ, & è contrario.

Sed Primò obicies: Si vnio causaretur materialiter à materiâ & à formâ, darentur duæ causæ totales illius, quod naturaliter repugnat. Nego sequelam: quia non potest vnio sine vtraque re conservari, inde vtraque efficit vniam causam totalem, qualibet autem partialem.

Secundò: Res materialis non potest subiectari in re spiritali, ergo neque vnio humana in animâ rationali. Sed hoc suprà reiectum est, & fusiùs reicietur Disputatione I. de Animâ, à n. 99.

SVBSECTIO QVINTA.

An vnio possit creari.

QVÆRITVR, vtrum vnio possit de potentiâ 121 absolutâ creari, id est, ita vnire materiæ & formam inter se, & ipsa vniri cum vtraque, vt tamen non causetur ab illis materialiter, sicut anima rationalis, licet sit vnita materiæ, non tamen ab illâ causatur. Respondeo, probabile esse, id non repugnare, licet enim vnio se ipsâ partibus vniatur, ideoque non possit esse nec de potentiâ absolutâ non vnita illis, non tamen causatur se ipsâ ab illis, sed per causalitatem distinctam; Deus autem potest supplere defectum causæ in ordine ad terminum productum ab eâ causâ, si per actionem distinctam ab ipso termino producat, & infra fusiùs probabitur, ergo poterit Deus se solo sine concursu materiæ & formæ vnionem conservare, quo casu compositum verè crearetur in ratione compositi, quia vt sic reduplicat supra vnionem, quam supponimus creatam. Imò etiam omnes partes illius possent 122 creari: si enim potest creari vnio, à fortiori poterit & ipsa forma substantialis; nihil ergo esset tunc in illo composito quod non crearetur.

Hic se defatigant aliqui, inquirentes, cur materia prima dicatur etiam naturaliter creata, quandoquidem ipsa includit vnionem partium, quæ non creatur, sed generatur, non minus quàm vnio humana. Ego ab hac difficultate facile me expedio, quia puncta materiæ sunt verè & propriè materiæ; illa autem puncta non includunt vnionem, ac propterea verè ratione illorum dicitur creari materia, quod non contingit in partibus essentialibus: quia qualibet seorsum sumpta, nec est nec dicitur homo, sed illæ prout vnitæ, vt sic autem non creantur naturaliter, sed generantur, etiam diuinitus, vt dictum est, possunt etiam vnio creari.

Hic tamen aduerte contra ponentes materiam essentialiter diuisibilem sine vllis punctis mat-

materia, difficulter, imò vix posse argumento responderi; ipsi enim nulla alia puncta in continuo admittunt, nisi vniiones, ex parte verò ipsius materiae nulla puncta, nullas lineas, nihil indiuisibile. Vnde sic argumentor euidenter: Non solum non datur actu punctum materiae carens vniione, sed neque prout distinctum ab vniione, nihil est indiuisibile, imò neque concipi potest in quantitate iuxta horum principia; ergo non minus est essentialis materiae vniio aliqua, quam est essentialis homini. Probo euidenter & ad hominem consequentiam, quia idem de essentiali hominis est vniio, quia sine vniione non potest concipi homo; sed sine vniione non potest concipi materia, ergo etiam de essentiali materiae est vniio.

115 Dices, Etiam homo non potest existere sine aliquibus modis, qui tamen non sunt de essentiali hominis. Sed contra, quia non solum materia non potest in tua sententia existere sine vniione, sed neque concipi; alias iam conciperentur & darentur indiuisibilia materiae, quae tamen per vniionem constituerent rem diuisibilem seu partem, quod per hos omnino repugnat, qui docent, exceptis vniionibus nihil indiuisibile concipi posse in materia; at homo, & aliae substantiae, licet existere nequeant sine aliquibus modis, possunt tamen saltem concipi sine illis, imò prius natura ad illos concipiuntur; vnde bene inferitur, eos non esse de hominis essentiali. Confirmo argumento etiam his valde familiaribus, & peto, an si per possibile vel impossibile à materia separaretur omnis vniio, maneret materia vel
116 non. Si non, ergo vniio est de essentiali materiae: si verò maneret materia, necessario deberet esse indiuisibilis, quia sine vniione non posset esse diuisibilis. ergo etiam nunc posita vniione sunt vera puncta indiuisibilia materiae, licet vnita & constituta totum diuisibile, quod à te negatur. Probo euidenter consequentiam: quia vniio non

tollit indiuisibilitatem punctorum inter se, sed ea inuicem connectit, vt per se patet. Et hoc argumentum notandum est pro his quae agentes de Continuo, Deo dante dicemus. Ipso autem exemplo de modis confirmo rursus hanc doctrinam: quia enim vbicatio non est de essentiali hominis (si enim per impossibile illa non daretur, maneret homo & idem qui nunc, sed non maneret vbicatus, quia in isto effectu iam includitur vt pars ipsa vbicatio) ergo si dicis vniionem non esse de essentiali materiae, teneris fateri, eam ablatam per impossibile, mansura sola indiuisibilia, quae insuper essent verè materia; & tunc infero, iam nunc etiam esse indiuisibilia, sed vnita: vel si negas tunc mansuram materiam, necessum est dicas, de eius essentiali esse vniionem; quia vt bene etiam contra Connotantes argumentaris, ablato per possibile vel impossibile solo illo quod est extra essentialiam rei, non potest dici, per locum intrinsecum rem illam petire. ergo si vniio partium non est de essentiali materiae primae, eam vniione sola per impossibile ablatam, deberet manere materia; vel si haec non maneret, ergo vniio erat aliquid essentialiter componens materiam, sicut vniio humana hominem, quod contendo.

Subodoratus est hanc difficultatem in sua sententia nonnullus, idem confugit ad sententiam de solis punctis finitis, vt obiectioni supra nu. 125. propositae responderet, additque, in sua etiam sententia non habere vim, quia materia id habet eò quod ex suo conceptu est semper diuisibilis. Admitto hoc illi, sed inde vrgeo argumentum: quia si de conceptu materiae est diuisibilitas, & de conceptu diuisibilitatis est vniio de primo ad vltimum, de conceptu materiae erit vniio, sicut de conceptu hominis est vniio essentialis; ergo materia non creabitur naturaliter, non factis ac non creatur homo. neque video vllam vel apparentem euasione.

DISPUTATIO QUINTA.

De Toto composito.

SECTIO I.

Totum non differt à partibus
& vniione.

TRIPLYM potest habere solum hanc difficultas. Primus est, vtrum compositum addat aliquid supra materiam & formam simul sumptas, quo sensu agitur à Conimbricensis hic cap. 2. quest. 1. art. 1. vbi docent, probabile esse, addere aliquid aliud. Verum in hoc sensu explicata est à nobis hanc difficultas Disput. iv. Sect. 1. vbi ostendimus, compositum addere supra partes vniionem distinctam ab illis; imò in rigore hoc non est disputare, vtrum totum distinguatur à partibus & vniione, sed solum vtrum distinguatur à partibus solis.

Porro vniionem esse de essentiali hominis (idem est in aliis compositis) & non esse conditionem

extrinsecam vt sit homo, probatur argumento à nobis saepe facto contra Connotantes: quia sola ablata vniione inter animam & corpus, omnibus licet aliis per possibile vel impossibile manentibus, non manet homo; ergo sine vniione non manet tota essentiali hominis, ergo vniio est aliquid de eius essentiali. In hoc non oportet magis haerere.

Secundò quæri potest, vtrum compositum distinguatur ab omnibus suis partibus, & vniione illarum. Et in hoc sensu videtur explicatis terminis euidentissima pars negatiua: nam vel illud, quod potest dici addere compositum supra omnes partes & vniionem, est aliquid ipsius compositi, vel non. si non est aliquid compositi, ergo compositum non illud dicit, ideoque nec addit illud supra omnes partes: si verò illud est aliquid compositi, ergo iam est pars compositi, ergo intrinsecum partium compositi numerum, ergo supra omnes partes & vniionem nihil potest addere compositum.

Obiicies Primò: Totum generatur & corrumpitur,